circumferunt, absque tædas, aut dies festos celebrari
opinari quis posset; quæ omnia tanta certè non essent,
si non hiberno tempore his omnibus, quid voluptatis, quid
charitatis haberent, carendo magis, quam semper fruendo
experissemus; nec tam grata, si non obscurata prius,
et desiderata aliquandiu magis, quam assiduè percepta,
postea verò renovata, iucundiora, illustriora, dulcis-
que magis viderentur. Quare ~~Aud.~~ Relig. [illegible] brumam aug-
ustissimam horum bonorum, deliciarumque, sapidissimum
condimentum, non ~~tam~~ præconiis dignam ~~mem~~ Divinæ constitutæ ~~putate~~, sed
cum ipso sapientissimo rerum omnium Moderatore Deo cunctis
diebus terræ, sementem, et messem, frigus et æstum, æstatem
et hyemem non requiescere. — Tum vel maxime ea
ea mala quæ ver plerumque suadet, æstas suscipit,
autumnus calentia adhuc et torrentia nutrit ac fovet,
hæc sola penitus destruit, propulsat, extinguit,
optatissimamque rebus omnibus ab innumeris laborum, dolo-
rumque procellis requiem concedit. Hæc verò mala adeò
multa, frequentiaque sunt, ut non tam facilè tam elo-
quentem, qui singula verbis assequi possit inveniendum
putem; itaque ne singulis innumeris recensendis dicen-
di terminos excedam, vel pauca eorum adduxisse
sufficiat. Primum itaque malum, quod ipsa repellit
haud exiguum est bellum, cum enim profundior nix, aut
immitis frigus ingruerit, nec duces obsidere urbes
pertinaciùs, nec milites frigido sub Iove diutius
habitare possunt, sicque à cœpto desistere, et statiua